



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLII. Gregorii Papae I. Ad Theodolindam Longobardorvm Reginam.  
Gratias refert de pace facta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLARVM LIBER VII. 653

EPISTOLA XLI.  
GREGORII PAPÆ I.

AD AGILVLPHVM REGEM LONGOBARDORVM.

Gratias agit de pace facta.

*Gregorius Agilulpho regi Longobardorum.*

**G**RATIAS excellentiæ vestræ referimus, quia petitionem Paulus dia-  
nostram audientes, pacem quæ vtrisque esset par-  
tibus profutura, sicut de vobis confidentiam habuimus,  
ordinastis. Ex qua re excellentiæ vestræ prudentiam &  
bonitatem valde laudauimus, quia pacem diligendo, vos  
Deum, qui ipsius est auctor, amare monstrastis. Nam  
si, quod abesse gaudemus, facta non fuisset, quid aliud agi  
debuit, nisi vt cum peccato, & periculo partium, misero-  
rum rusticorum sanguis, quorum labor vtrisque proficit,  
funderetur? Sed vt prodeesse nobis eamdem pacem quem-  
admodum a nobis facta est sentiamus, paterna caritate sa-  
lantes petimus, vt quotiens se occasio dederit, ducibus  
vestris per diuersa loca & maxime in his partibus consti-  
tutis, vestris præcipiatis epistolis, vt hanc pacem, sicut pro-  
missum est, \*summopere custodian, & occasiones sibi ali-  
quas non querant vnde aut contentio quædam, aut seditio  
aliqua, aut ingratitudo nascatur, quatenus voluntati ve-  
stræ amplius agere gratias valeamus. Latores vero præ-  
sentium, sicut reuera homines vestros, in eo quo decuit  
affectu suscepimus: quia iustum fuit vt viros sapientes, &  
qui pacem factam Deo propilio nuntiauerunt, cum cari-  
tate & suspicere & dimittere deberemus.

EPISTOLA XLII.

## GREGORII PAPÆ L

AD THEODOLINDAM LONGOBARDORVM REGINAM

Gratias refert de pace facta.

*Gregorius Theodolindæ Longobardorum reginæ.*

**Q**VIA excellentia vestra ad faciendam se pacem studio-  
fius & benigne, sicut solet, impenderit, renuntiante  
filio nostro Probo abbatte cognouimus. Neque enim aliter  
de Christianitate vestra fuerat confidendum, nisi quia  
Paulus dia-  
conus libro  
4. cap. 3.

Nnnn ij

in causa pacis laborem & bonitatem vestram modis omnibus monstraretis. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor vestrum sua pietate regit, ut sicut rectam fidem tribuit, ita quoque placita sibi vos semper operari concedit. Non enim, excellentissima filia, de sanguine, qui ab utraque parte fundendus fuerat, paruam te credas acquisisse mercedem. Ex qua re voluntati vestræ gratias referentes, Dei nostri misericordiam deprecamur, ut bonorum vobis vicem & retributionem in corpore & in anima, hic & in futuro compenset. Salutantes vos præterea paterna dilectione hortamur, ut apud excellentissimum coniugem vestrum ita agatis, quatenus Christianæ reipublicæ societatem non reiiciat. Nam, sicut & vos scire credimus, multis modis est utile, si se ad eius amicitias conferre voluerit. Vos ergo more vestro, quæ ad gratiam & conciliationem partium pertinent, semper studete: atque ubi causa mercedis se dederit laborate, ut bona vestra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

## EPISTOLA XLIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD FELICE M.

De reuerentia & iustitia Ioannis episcopi, qui cum  
Felice iudicium inire volebat.

*Gregorius Felici in Sicilia.*

**C**VM reuerendissimi fratris nostri Ioannis episcopi bene nobis nota sit grauitas, mirari nos gloriae vestrae valde fecit epistola, quod nihil eum secundum admonitionem nostram facere voluisse signabat. Et quidem durum nobis videbatur, aut vobis non credere, aut de illo talia suspicari: quippe cuius cogniti nobis mores & actio non permittebant tale habere iudicium. Cum ergo noster animus dubius in utroque penderet, comperimus eum inter vos & ecclesiam suam voluisse esse iudicium, sed vestram magis gloriam distulisse: quod negare neque homo vester lator presentium potuit. Et contristati sumus cur gloria vestra, quæ iudicium refutavit, contra eum queri voluerit, postquam constat, quia quod rationis fuit, vel ultro, ut scripsimus, obediuit. Nec ei scribere iterum necessarium